

controversa, & quae fidei Summam non spe-  
stant. 501

VIII.

Indulgentiae quid sint? numve in sit Ecclesia pote-  
stas eas conferendi, proponitur, demonstra-  
tur. 505

IX.

Indulgentiarum utilitas in quo posita sit; iustam &  
legitimam causam in iis conferendis praeveri,  
asseritur, demonstratur. 507

X.

Jubilaei vox unde sumpta; Jubilaeum primum so-  
lemniter institutum a Bonifacio VIII. Pontifice,  
& centum annorum spatium definitum; a Clemen-  
te VI. ad quinquaginta annos redactum; ab Ur-  
bano VI. ad annum 33. tandem a Paulo II. ad  
annum 25. asseritur, explicatur. 508

XI.

Quid sit Censura, & num in sit Ecclesiae potestas  
easdem ferendi, proponitur, explicatur; quinam  
potestate ordinaria censuras ferre possint, demon-  
stratur. 509

XII.

Causae propter quas nulla vel injusta Censura fieri  
potest, declarantur. 510

XIII.

Excommunicatio quid sit, & quotuplex traditur;  
quibus quantisque bonis privet Excommunicatio  
Major ostenditur. Quando nam & quibus de  
causis licita videatur esse communio fidelium cum  
excommunicatis, demonstratur. 512

XIV.

Suspensio quid sit, & quotuplex demonstratur.  
Nonnulla ea de re observatione dignissima expen-  
duntur. 513

XV.

Interdictum quid sit & quotuplex ostenditur; quan-  
donam in Ecclesia introductum, queritur. Quibus  
bonis privet, quibus Sacramentis, qua celebratio-  
ne officiorum, qua sepultura, demonstratur. Quae  
tandem poena violentibus Interdictum sit imposi-  
ta, proponitur, explicatur. 515

TRACTATUS PRIMUS  
DE INEFFABILI  
TRINITATIS  
MYSTERIO.

PRELUDIUM.

Ex D. Augustini Monito tria Viro Theologo in  
Trinitatis Mysteriorum indagazione consideranda  
proponuntur, atque explicantur.

**I**ST illa D. Augustini, quae me  
de Trinitate ad primum Sen-  
tentiarum Librum dicere insti-  
tuentem plurimum movet, di-  
gnissima Vox: *Nec periculosus*  
(quam in Trinitate) *erratur*  
*alicubi, nec laboriosus aliquid*  
*queritur, nec fructuosus aliquid*  
*invenitur.* Lib. 1. de Trinit. cap. 3.

Et sane patens errandi periculum plus satis  
ostendit Errantium numerus. Nullum enim Chri-  
stianae Religionis Mysterium est, in quo Plures  
inveniuntur errasse. Imo, si recte calculum po-  
no, totis quatuor prioribus Christiani nominis  
Saeculis, quae tot Haeresibus Ecclesia iactata est,  
Omnes, paucis exceptis, in Trinitate aberrarunt.  
Quod quidem quo fato, quae ratione contigerit,  
diligentius investiganti id demum venit in mentem,  
quod non ita insipienter excogitarum existimabitis:  
ortum id scilicet non modo ex sacrosancti hujusce  
Mysterii altitudine; verum etiam ex pristina Fide-  
lium, quibus tunc primum universa coaluit Ecclesia,  
conversazione, ac Religione. Quum enim Unitate  
Naturae, ac Trinitate, seu distinctione Personarum  
flet tota hujusce Mysterii altitudo; aliunde vero tota  
ex Judaeis, atque Gentilibus ad Fidem ex pristina  
Secta recens conversis Ecclesia coalesceret; factum  
inde, ut Judaei, uni ac solitario colendo Deo  
jampridem affueti, Trinitatem Personarum in  
Deo aegre admodum ferrent; Gentiles e contra-  
rio, Deorum multitudine antea delectati, supre-  
mi Numinis Unitatem difficillime parerentur.  
Quare pristinis Sectae suae praerudicis occupati  
varias, pro suo quique genio, contra Unitatem  
Naturae, & Trinitatem Personarum Haereses pro-  
cedentes, Judaismi, ac Gentilitatis reliquias in  
Ecclesiam intulerunt. Quocirca a Theodoro non  
semel observatum est Lib. 1. Heret. Fabul. prio-  
rum Saeculorum Haereticos pene omnes aut pri-  
stina Religione, aut certe proxima Origine Ju-  
daeos, atque Gentiles existisse.

in hocce sacrosancto Mysterio, quam errandi pe-  
riculum: ac si Democrito statueret libuit, verita-  
tem puto concludi, ac delitescere, unde non si-  
ne ingenti labore deducatur: nulla verbi invidia  
dixerim ego, quae nobis in hacce Theologica  
Tractatione quaerenda veritas est, hanc non qua-  
licumque, sed Mulieris Samaritanae puto conti-  
neri; de quo sacer Evangelii Textus apposite  
monet Joan. cap. 4. *Neque in quo haurias habes;*  
*& putens altus est.* Eoquid enim tam ab huma-  
na Ratione, sensuque disjunctum, quam sine cor-  
ruptione fecunditas, sine divisione numerus, sine  
solitudine unitas? Quid tam humanam, ac etiam  
Angelicam Intelligentiam excedat, quam Proce-  
sio aeterno quodam fluxu erumpens, & tamen im-  
mota; semper antiqua, & semper nova; perfecta  
semper, & semper incipiens? Quid tam morta-  
libus incomprehensum, quam Filius a Patre ge-  
nitus, & Patri coaevus; productus, nec tamen  
factus; non ex materia, atque subiecto, nec ta-  
men ex nihilo; prodiens a principio, manens in-  
tra principium? Id scilicet est, in quod inten-  
dens quondam alias Ingeniorum Aquila Augustinus  
post diuturnam meditationem sacro quodam hor-  
rore correptus, Mentisque exilitatem tanti My-  
sterii altitudini proprus imparem tandem exper-  
tus, effusus in lacrymas exclamavit: *Mira pro-*  
*funditas, Deus meus; mira profunditas! Horror,*  
*& tremor est intendere in eam: horror hororis,*  
*& tremor amoris.* Lib. 2. Confes. cap. 14.

Verum in tanto errandi periculo, tantoque  
quaerendi labore addit nobis animos, quod ultimo  
tandem loco adjicit Augustinus inquis: *Nis-*  
*piam, quam in Trinitatis Mysterio, fructuosius ali-*  
*quid invenitur.* Nec immerito quidem: ut enim  
per mare naufragis ac periculis celebre, devedta  
merces summo praer ceteris pretio aestimantur;  
nullaque salubrior est unda, quam quae puteo al-  
te desosso hauritur lento molimine; ita nec men-  
ti jucundior, nec utilior Ecclesiae veritas ulla,  
quam quae in tanta errandi facilitate, in tanta  
quaerendi difficultate a viris Theologis invenitur.  
Ac sicuti prudentum aestimatorum judicio praer-  
stat, vel unam quae supra Naturam est, verita-  
tem intelligentia assequi, quam ceteras quas-  
que Naturae ambitu comprehensas; quod videli-  
cet illae istas plurimum antecellunt; ita in ver-  
itatum superni Ordinis indagazione plures est  
vel unam de Trinitate, quae totius superni Or-  
dinis



dinis fons & origo est, animo comprehendere, quam ceterarum quarumcumque studio delectari.

Injurius itaque Viris Theologis fuerim, si facrum istud Opus aggressuros hortatore eos egere putarem; & officii sui mea illos admoneret Oratio. Ipsi sponte sua exardescunt, meque ipso tacentes, tractandi argumenti dignitas plus satis accendit. Suam, ut bene spero, attentionem praesens errandi periculum detinebit; diligentiam, quaerendi labor & difficultas exaceruet; alacritatem reportandus fructus uberrimus excitabit. Quod si tria ista non moveant, nulla publici col-

loquii adhortatio, nulla Oratoris facundia permovebit.

De Sacrosancto itaque hocce Mysterio cum insensibilis illius hostibus pro demandato nobis officio decertabimus primo; qui quidem nedom Ecclesiae universim sumptae catholica dogmata adversus veteres, recentioresque Haereticos impie blasphemantes propugnabimus; verum etiam Schismaticorum Graecorum de Spiritu S. Processione errores detegemus, calumniasque eorumdem Ecclesiae Latinae inultas exfufflabimus: tum catholicorum quorundam Theologorum circa Trinitatem opinionationes refutabimus, respuemusque.

## DISPUTATIO PRIMA

### Adversus Haereticos, & Schismaticos.

#### PRÆLECTIO PRIMA.

Veteris Testamenti auctoritate, Trinitas Personarum in Deo adversus Judaeos, Sabellianos, aliosque Haereticos demonstratur.

**D**emandatam mihi provinciam obituros, Trinitatis Fidem in primis vindicandam aggredior, primamque iccirco Exercitationem instituiam contra Judaeos & Sabellianos, a quibus Divinarum Personarum Trinitas impeti solet. Est enim illa prudentum Theologorum summo consensu statuta docendi methodus, ut in omni Theologica Tractatione ea fundamenti loco ponant, quae de Mysterio quovis credenda atque asserenda, Religio monet. Quum enim ex Fidei Capitibus Theologicae veritates, velut e principis, enascantur; id prius statuendum firmandumque est, quod Catholica Fides docet, quam fluentes inde Conclusiones Theologicae deriventur.

De hoc itaque Fidei nostrae Capite omnium maximo difficillimoque, sermonem mihi nunc habituro id statim occurrit animo, quod alias Augustinus observavit: ita scilicet supremi Numinis, cujus afflatu Scripturae Sacrae conditae sunt, singularem Providentiam hominibus prospexisse, ut Sacrosanctae Triadis revelationem pro varia conditione temporum Fidelium animis accommodaret. Aliter enim sub Lege, aliter sub Gratia Trinitatis Mysterium revelatum est: subobscure primum, & arcano quodam verborum involucre, sacrificiorumque velamine; postmodum explicatius, & eliminatis ambagibus. Sacrae hujus, ac vere Divinae Oeconomiae rationes si quaerimus, tres illico sese offerunt; quarum duas subministrat Apostolus; tertiam Theodoretus: Lex, inquit Apostolus ad Galatas 3. *pedagogus noster fuit in Christo: ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pedagogo.* Pedagogiae itaque instar fuit, Legis veterisque Testamenti revelatio, qua non formati viri, sed pueri intituarentur; quorum iccirco tenuitati se accommodabat Divini Numinis Providentia: at excusso tandem sub Gratia pedagogiae tyrocinio, quae prius guttatim stillabatur infirmis animis, superna Veritas fluminis instar cumulate diffusa est.

Accedit & illud ad Hebraeos cap. 1. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: novissime diebus ipsis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit & saecula.* Dignum itaque videbatur, ut alia Prophetarum esset, alia Christi de Trinitate revelatio: alia fervorum, alia Filii

illi sub figuris quibus debebant, & involucribus mysteria credebant potius, quam aperirent. Ite hac ipsa, in qua genitus est, luce mysteria referavit; Illi ut prudentes Oeconomii sacrum thesaurum parce dispensabant; iste profudit, ut haeres a Patre datus. Illi ut inferuici arcana velut infurarrunt; iste libera & alta voce propalavit, utpote Patris Verbum in ipso sacrorum Arcanorum sinu recumbens. Unde & ejus illa vox fuit: *Venit hora, quum non jam in proverbis loquar vobis, sed palam da Patre annunciabo vobis.* Joann. 16.

Tertiam hujus discriminis rationem addit observatione dignissima Theodoretus lib. 2. de Graecorum affectionum curatione, cur parcius, & subobscure Hebraeis olim SS. Trinitatis revelatio facta sit, quam postmodum Christianis: Ne videlicet Hebraei, audita palam ex ore Moysis Divinarum Personarum Triade, propositam sibi Deorum multitudinem arbitarentur, indeque causam arripere, in Pollithestimum impietatemque Aegyptiacam declinandi.

In cujus rei exemplum observat Apostolus 2. ad Corinthes. 3. *Moysem non nisi velo quodam obiectum verba Legis ad Judaicum populum loqui solitum fuisse, ut non intenderent filii Israel in finem ejus; ut Graecus Apostoli textus habet.* Equis vero finis legis est, in quem ne intenderent filii Israel Moyses praecavebat, nisi Trinitatis notitia, in qua & nostra, & Israelitarum fasus posita est? De qua Christus Joannis 17. *Hec est, inquit, vita aeterna: ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum. Nondum ( tunc temporis ) propalata erat Sanctorum via, adhuc priore tabernaculo habente statum;* inquit Apof. ad Hebraeos cap. 9. *quia eo tunc velo obiectum erat Tabernaculum, quod non nisi moriente Christo, veluti revelata jam mysteriorum omnium veritate, scissum est a summo usque deorsum, ut loquitur Evangelium.*

Verum tamen prudenti Oeconomia protempore illorum conditione Trinitatis revelatio temperata sit; ita tamen huic firmandae Catholicae veritati etiam sub Lege prouic fuit, ut eam sin minus carnales, at saltem spirituales Judaei, & qui vere sunt Abrahae filii, internoscere facile possent; Deique unius ac trini fidem, qua nobiscum justificarentur, ex veteris Testamenti Libris haurire. Graviora ex iis Libris monumenta seligam, vindicando probandoque Trinitatis Mysterio magis opportuna, quibus Judaeorum perfidia, sin minus frangi ac pulsari, eorumdem saltem pervicacia retundi poterit.

Offert

## DISPUTATIO I. PRÆLECTIO I.

Offert itaque se primo Scripturarum in lumine ad Mysterii Trinitatis probationem, quod legitur *Genesis 1. In principio creavit Deus Caelum & terram: Terra autem erat inanis & vacua. . . . & Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Quo loco, etsi Principii nomine, mundi ac temporis exordium intelligant Patrum aliqui; *Verbum* nihilominus, in quo Deus mundum condiderit, intelligendum existimant longe plures; Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 5. & Augustinus lib. 11. *Confess. cap. 8.* Nec immerito: nam & hoc ipsum ( omnia scilicet in Verbo, seu Dei Filio esse condita ) significat saepe numero Gentium Apostolus ad Hebraeos 1. *Novissime diebus ipsis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit & saecula;* & ad Colossenses: *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae: quoniam in ipso condita sunt universa in Caelis & in Terra, visibilia & invisibilia.*

Nec vero minus Ecclesiae Patribus aridet ea sententia, quae Spiritum illum Domini, de quo Moyses locum laudato, aquis primitus incubantem, tertiam Trinitatis Personam interpretatur. Ita nempe Tertullianus lib. de Baptismo cap. 3. Ambrosius lib. 1. Hexameron cap. 8. Augustinus lib. 13. *Confess. cap. 5. & 7.* Hieronymus in *questionibus Hebraicis.* Quin etiam ita plane Ecclesia Catholica interpretatur, quae eo veluti Sacramento Spiritus S. aquis primigeniis incubantis praesfigurata docet sanctitatis infusionem lustralibus aquis fieri solitam piis illis de more praebitis, quibus sacris Baptismatis fontibus benedicuntur.

Ne porro eo se argumento minus urgeri Judaei reponant, quod ex Ecclesiae Patrum interpretatione potius, quam ex ipso Scripturae contextu vim omnem suam repetere videatur; secretiora eo in oraculo rimatur viri hebraicae linguae doctissimi, quibus non ex interpretatione ad arbitrium quaerita, sed ex ipso Scripturae nativo sensu revinci possunt. Id enim observatu dignum, quo loco latine legitur: *In principio creavit Deus Caelum & terram;* ita hebraice legitur. *Bereisith bara Elohim etz basamaim, verbz haarec;* quasi quis lapsa latinitate diceret: *In principio creavit Dii Caelum & terram:* pluralis etenim numeri formam habet *Eloim* non singularis. Ecorum vero Scripturae facta, cujus sine mysterio nequidem unus est apex, plurale nomen praeter hebraicae grammaticae leges singulari verbo copulasset, nisi ut in uno Creatore Deo tres Personas innuere; Divinaeque Naturae unitatem cum Personarum Triade sociaret?

Id ipsum plane ad ejusdem Capituli calcem juxta Vulgatam ipsam Versionem, uti & juxta Textum Hebraici fidem observare licet: *Faciemus, inquit Deus, hominem ad imaginem & similitudinem nostram;* & continuo subditur: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam:* ubi alterna illa pluralis, & singularis numeri usurpatio; *faciamus hominem. . . creavit,* seu *fecit hominem,* plurale quidpiam in uno Deo, Personarum scilicet Trinitatem, non obscure significat. Quo quidem alias Argumento Bassilius Magnus *Homil. 9. in Hexameron,* & Theodoretus *Quaest. 19. in Gen. Sabellianus* exagitant. Sed & illud multo disertius, ac etiam invictum, quod *Gen. cap. 3.* legitur; ubi Deus Adami vesaniam irridens, qua Divinam similitudinem petulantius ambiverat: *Ecce ( inquit per ironiam ) Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum.* Quae loquendi ratio plures in Deo Personas innuit, quarum uni Adamum similem evasisse, per ironiam dictum est. Nec enim reponi commode

Serry Tom. IV.

potest, quod tanta fidentia aliorum Oraculorum occasione Judaei respondent; Deum nempe more Principum, demonstrandae auctoritatis causa, plurali interdum numero de se ipso locutum esse. Etsi enim captari utcumque Cavillatio illa posset, si Deum ita loquentem legeremus: *Ecce Adam similis nobis factus est;* dum tamen ait: *Quasi unus ex nobis factus est,* plura profecto in Deo Personas citra dubitationem insinuavit, quarum uni similis factus sit Protoparens noster.

Ab infideli Adami ad fidelem Abraham prope remus. Trinitatem totius nostrae Religionis, & Fidei Caput potissimum Abrahamo credentium Parenti revelatam inveniemus celeberrime illa Visione, qua Deum trinum, humana specie indutum, intueri & excipere meruit. Rem ita legitimus *Genesi 18. Apparuit ei Dominus in convallibus Mambre sedenti in ostio Tabernaculi sui, in ipso fervore diei. Quumque elevisset oculos, apparuerunt ei tres Viri stantes prope eum; quos quum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio Tabernaculi, & adoravit in terram. Et dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transcas seruum tuum. At haec mutuo conferamus. Apparuit ei Dominus humana utriusque specie indutus. . . . apparuerunt ei tres Viri. . . . cucurrit Abraham in occursum eorum, & ait: Domine si inveni gratiam coram oculis tuis. Concilient ista, si possunt, qui Deum, uti Natura, sic & Persona unum effutunt: erit illis profecto Oraculum istud Spingidis Thebanae Enigmatibus obscurus. Nos commode conciliamus, dum tres Personas Divinas trium Virorum specie indutas, unum Natura Deum ac Dominum profiteremur. Novit id oculatissimus Augustinus, & in Trinitatis hostes retorquet *Lib. 2. de Trinit. cap. 11. Quod tres Viri ( Abraham ) viderunt, nec quisquam in eis vult forma, vel aetate, vel potestate major ceteris dictus est, cur non hic accipiamus visibilibus insinuatam per creaturam visibilem Trinitatis equalitatem, atque in tribus Personis unam eandemque Substantiam? Nihil minus eidem perfidia Judaicae, ac Sabelliana revincenda congruit, quod *Genesi 19.* legere est. *Pluit Dominus super Sodomam & Gomorrhham sulphur & ignem a Domino de Caelo.* Certe *pluit Dominus a Domino,* Deum de Deo perspicue denotat: Filium scilicet a Patre procedentem, a quo sicut Naturam eandem, ac potestatem accepit; sic etiam eandem, ut Schola loquitur, operationem ab extra. Non me fugit, recentiores nonnulli Scripturarum Interpretes existimare, verbis illis *pluit Dominus a Domino* duas Trinitatis Personas minime designari, Filium nimirum, & Patrem; quasi Filius, accepta a Patre aeterno virtute, ignem & sulphur depluerit super Sodomam & Gomorrhham; sed unum potius iis vocibus contineri ajunt; quo significetur duntaxat, Dominum a se ipso pluisse; hoc est, pluviam illam igneam, & sulphuream non ex causis naturalibus, nec modo naturali, sed Domini Dei vindicis Omnipotentia desuper immiffam esse. Verum, quanquam ille ipse verborum illorum sensus esse possit, quem ii excoGITANT Interpretes, stare nihilominus etiam sensum alterum a nobis insinuatam, ex eo liquet, quod Patres veteres bene multi eum Scripturae locum *pluit Dominus a Domino* de duplici Persona in Deo existente, Patre nimirum & Filio, ignem & sulphur super Sodomam & Gomorrhham depluentibus intellexerint. Praesertim vero Justinus martyr in *Dialogo cum Tripbone;* Irenaeus *Lib. 3. adversus Haereses cap. 6.* Athanasius *Lib. contra Gregorium Sabellium;* Hilarius *Lib. 4. de Trinitate.* Quin etiam in Concilio Sirnienti iis anathema dictum est, qui eum Locum aliter, quam de Patre, & Filio intelligendum arbitrentur.**

A 2

Ita



Ita quippe anathematismo id, apud D. Hilarium Lib. de Synodis: Si quis dicitur illud pluit Dominus a Domino, non de Filio, & Patre intelligat; sed ipsum Filium a se dicat pluisse: anathematizet. Pluit enim Dominus Filius a Domino Patre. Stat igitur invicem & istud veteris Testamenti Oraculum.

Jam vero, dum usurpata a Patribus veteris Testamenti loca profero adversus Trinitatis Hostes, prætere omnino non possum discretissimum illud Oraculum, quod ab ipso Christo contra Judæos ita apposite prolatum est, ut os illis, tametsi sua ipsorum indole multum loquacibus, occluserit: Congregatis Phariseis (refert Mattheus capite 22.) interrogavit eos Jesus dicens: quid vobis videatur de Christo? Cujus filius est? Dicunt ei, David. At illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum dicens: dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis; donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo Filius ejus est? Et nemo poterat (subjungit Evangelista) ei respondere verbum; neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare. Sicine Judæis adeo querulis & impudentibus oclulum os, nisi inesset sacro huic Oraculo vis plane decretoria, omnique cavillatione superior? Ita sane. Enimvero, dum inquit Regius Vates: Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis; duas sine dubio Personas, Patrem nimirum & Filium, nobis exhibet: unum ad alterius dexteram sedentem; unum ab altero ante sæcula genitum: In splendoribus sanctorum ex utero ante Luciferum genui te.

Nec est, quod Judæi reponant, verba illa Davidis esse Salomonem alloquentis, non Dei. Eo quippe confingere Judæi solent, ut Psalmum illum de Davide & Salomone secum invicem colloquentibus intelligendum omnino velint, non de Deo Patre, Deique Filio. Quis etenim sibi finxit unquam, Davidem Salomonis hostes ad ejus pedes prostravisse, ut æquo jure ei dicere posset: Sede a dextris meis; donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Quis Salomonem a Davide in splendoribus sanctorum genitum dicat? Quis Salomonem ante Luciferum genitum effutiat? Quis Salomonem Sacerdotem æternum secundum ordinem Melchisedech fabuletur, ut hæc in eum Psalmi illius verba cadere possint: In splendoribus sanctorum ex utero ante Luciferum genui te: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech? Ineptum igitur, insulsumque est illud Judæorum effugium.

Immensus sim, si quæ ex aliis Psalmis repeti possunt ad Trinitatis probationem, accurate percensere velim. An non tres Personas, ac suis etiam characteribus designatas exhibet Psalmus 32. Verbo Domini Celi firmati sunt; & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum? In quem locum Hieronymus inquit: Trinitatis majestas manifestissima declaratur: Dominus, Verbum, Spiritus Sanctus. An non eadem Personas indigitat Psal. 66. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus? Quæ verba ita refert idem Hieronymus: Benedicat nos Deus, Deus Pater; Deus noster, Filius; ipse enim Deus noster. Et vocabis, inquit, nomen ejus Emmanuel; id est, nobiscum Deus, Deus noster: benedicat nos Deus, Spiritus Sanctus. Vide de mysterium Trinitatis in uno versiculo comprehensum.

Attamen ut fatear, quod res est, qualiacumque illa sint veteris Testamenti Scripturarum Oracula, quibus antiqua Judæorum de unica in Deo Persona aberratio refelli possit; levioris tamen momenti sunt, si cum novi Testamenti Oraculis conferantur, quæ in Sabellianos eodem cum

Judæis errore implicitos ab antiquis Ecclesiæ Patribus proferuntur. Hæc in sequenti Theologica Prælectione in medium advocabimus; & nefariam Sabellianorum Hæresim, in Germania & Polonia ante annos prope ducentos denuo suscitata, Deo volente, confutabimus.

## PRÆLECTIO II.

Sabellianorum, ac Socinianorum in Trinitatem impietatis, Novi Testamenti auctoritate præfigatur.

Sabellianismum, sacrosanctæ Triadi injuriam Hæresim, præsentem, ut spondimus, exercitatione confutaturi, Imperatorum morem imitabimur, qui hostium stationes, vires ac numerum explorare antea solent, quam bellum inferre: quo & oppugnari feliciter, & superari commodius possint. Sabellianismum itaque, quo sacrosanctæ Divinarum Personarum Trinitas de medio tollitur, ab impia, ut ita dixerim, Triade, vertente sacculo tertio sumpsit exordium; Præsea scilicet, Nestorio, & Sabellio: quorum hæc una communisq; sententia fuit (Epiphano teste, Hæres. 62.) Eumdem esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; ita ut ad eandem Hypostasim tres appellationes convenirent, Unam iccirco eandemque Divinam Personam, Patrem vocitari, quia creavit; Filium dici, quia redemit; Spiritum S. quia sanctitatem intulit humano generi. Quo ex capite consequens erat, Patrem (si Personam spectes) æquo jure ac Filium, incarnatum ac passum esse: quandoquidem una utriusque Persona ab eis dicebatur. Unde & Sabelliani Patropassiani per desumum a Patribus appellatur; Athanasio scilicet Lib. de Synodis; Augustino Tract. 36. in Joannem; Optato Milevitano Lib. 5. adversus Parmenianum; & Mario Mercatore, auctore S. Augustini cœvo, in Dissertatione de duodecimo Anathematismo Nestoriano.

A Sabellio in Montani discipulos permeavit idem error: discipulos dico, non Magistrum ipsum, qui & ætate Sabellio prior erat, & de tribus Personis cum Ecclesiæ Catholica recte sentit, Epiphano iudice, Hæres. 48. quum ex adverso Montani discipuli Trinitatem in unius Persona angustias coarctarent, si credimus Hieronymo Epist. 37. alias 54. ad Marcellam.

A Montani discipulis in Priscillianistas diffusus est error sæculo quarto; ac tandem a Priscillianistis, longo interjecto temporis spatio, in nonnullos Lutheri discipulos, quos blasphemæ in Trinitatem Magistri voces audaciores fecerant; nempe Michaelæm Servetum, Valentinum Gentili, & Lælium Socinum sæculo decimo sexto. Horum primus reliquiis in Transylvania impietatis Sæctoribus non paucis, pronunciant tandem ac judicante Calvino ipso, Genevæ flammis addictus est. Factum quidem bene; at factum fortasse melius, si eodem accenso rogo Judex ipse una cum reo absumptus esset. Alter, nempe Valentinus Gentili undecimo post Servetum anno Beræ apud Helvetios extremo supplicio affectus, erroris hæredes longe plures in Polonia reliquit. Postremus Lælius Socinus Basileæ, aut (ut aliis placet) Tiguri animam egit impietatis famosis, Antitrinitarius communiter appellatur, a quæ recentis Sabelliani, Sociniani vulgo dicuntur.

Isthæc præmonere libuit antequam in eos omnes arma vertamus; ut hinc intelligant universi, veteres identidem Hæreses ex inausis cineribus demum postris temporibus excitari; adeoque viris Theologis vitio dandum non esse, si in iis confutandis operam ponant: immo vero longe felicius

cuis in iis debellandis tempus infumi, quam si, ut moris quibusdam est, raucas inutileque omnino in Scholis Theologicis habeant concertationes.

En itaque quibuscumque nobis manus in præsentia conferendæ veniant. Quamquam autem iisdem, quibus Judæos exagitavimus, argumentis ex veteri Testamento petitis confutari censei possint ceteri recentiores, tum veteres Sabelliani Divinarum Personarum distinctionem abnegantes; aliis tamen ad mensuræ cumulum ex novo Testamento, cui ipsimet fidem adjungunt, delibatis, multo luculentius profigantur.

Quid enim in novo Testamento frequentius, quid apertius inculcatur, quam distinctarum Trinitatis Personarum in unius Naturæ simplicitate subsistens? Decretorium illud in primis, & ab omni ambiguitate defæcatum, quod habet dilectus Christi Discipulus Epist. 1. cap. 5. Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo; Pater, Verbum & Spiritus Sanctus; & hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, & aqua, & sanguis; & hi tres unum sunt. Jam si tres sunt, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, quomodo unum tantum tribus nominibus ob diversa munia insignitum, juxta Sabellium & Socinianos? Et quidem, si dilecti Discipuli mentem paulo intimius perpendamus, vacat omnis effugii locus. Is enim probandum sibi sumit eo loci, Christum & verum Deum esse, & verum Hominem; ut fidelium animos adversus Simonianos, Ebionitas, Cerinthianos, aliasque id genus pestes quæ jam tunc Ecclesiam infestabant, datis Epistolis communiret. Manc etenim Epistolam morti proximus scripsit Joannes, cæteris Apostolis martyrio sublati, dum annum ipse ageret prope centesimum. Id porro ut probet, observat, tres esse in terra testes, qui Christum nobis verum Hominem in Cruce passum testificentur; spiritum, aquam & sanguinem: spiritum inquam, quem Christus Cruci suffixus emisit; aquam & sanguinem, quæ ex ejus jam demortui latere affluerunt: ac rursus vicissim tres in Cælo testes esse observat, qui Christum eundem, & Deum & Dei Filium contestentur; Patrem videlicet, Verbum & Spiritum Sanctum: Patrem inquam, cujus de Christo illa vox fuit, dum in Jordane ringeretur: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; Filium, seu Verbum, quod ubique testimonium perhibuit de se ipso: Spiritum Sanctum, qui eidem quam in Jordane baptizaretur, sub Columba specie suffragatus est. Posita hæc dilecti Discipuli probatione, inquit ego: Si tres illi, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus qui testimonium in Cælo dant, una eademque Persona essent triplici dumtaxat nomine insignita, ut Sociniani contendunt, tres utique Divinitatis Christi testes esse non possent. Eo plane modo, quo (si magna parvis componere licet) Marcus Tullius Cicero pro triplici teste in judicio haberi non posset, quod una triplicis nominis persona sit, atque ita tota vis probationis a dilecto Discipulo ex triplici teste petita labefceret.

Mirum! quantum sese hoc loco torquent Sabelliani, potissimum recentiores, qui sæculo decimo sexto Germaniam & Poloniam infestantur, ut laqueum istum effugiant. Totam illam dilecti Discipuli phrasim: Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo, censoria virgula notant audaciores Aristarchi; eamque additiam, & a privato quopiam sacro Textui inepte assutam obtendant: Hujusque sui responsi duo præferunt proferunt argumenta, in quibus eventilandis parumper excurrere liceat. Primo ergo additiam iccirco vo-

lunt totam illam Joannis periodum, quod a Græcis Exemplaribus jam ante Hieronymi tempora procul abfuerit tota illa de Trinitate periodus: secundo, quod eam antiqui Sabellianæ & Arianae hæresis impugnatores, Ecclesiæ causam orantes, alto silentio prætermiserint; non utique prætermisisti, si vere genuinam agnovissent, unde tam elegans pro asserenda veritate repeti posset argumentum.

Repono ad primum: Quod a Græcis aliquibus Exemplaribus olim abfuerit tota illa de Trinitate periodus, non imus inficias: sed causam si quarimus, in promptu est; nimirum a quibusdam defuisse, quod eam sustulerint Hæretici; quod etiam aliis in locis Scripturæ Sacræ, uti & Sanctorum Patrum, contigit esse compertum est eruditus; & testatur Hieronymus ipse quem appellat, in Prologo mox citando. Cur porro sustulerit viri nequissimi, nisi quia errori revincendo efficacissimam agnoscebant? Neque tamen ab omnibus Græcis Exemplaribus abfuisse periodum illam, Hieronymus monet; sed solum ab aliquibus, in quæ nefarias & interpolatrices manus intulerant Hæretici depravatores. Quinimmo in Prologo Canoniarum Epistoliarum non sine stomacho in infideles Translatore invehitur S. Doctor, quos multum errasse in Fidei veritate compertum esse affirmat, dum tria illa dumtaxat vocabula, hoc est, aqua, sanguis, & Spiritus in suis editionibus posuerunt, Patris, Verbi, & Spiritus Sancti testimonium omittentes. Sed non longe ab hæc ætate nostra Robertus Stephanus in Notis adornatis anno 1550. phrasim hanc in novem Manuscriptis Codicibus Græcis invenisse se profiteretur; quorum duo ætatem Hieronymi superarent. Quin & Erasmus priorem emendans errorem, huic Verbum S. Joannis posteriori suæ novi Testamenti editioni inseruit. Ac si unus Richardum Simonium intemperantis criterii virum exceperis, soli nunc rejiciunt Sociniani. En primum fat bene occlusum & occupatum, Socinianorum effugium.

Jam quod alterum attinet ab iis vulgo iactatum; Patres scilicet veteres, Arianae ac Sabellianæ Sæctæ debellatores eum de Trinitate veritatem ignorasse, atque silentio prætermisisse; hoc ipsum plerique Theologi nostri falsi postulant; & Athanasium simul, & Augustinum veritatem illam recitate contendunt: Athanasium quidem Lib. de unita Dei Trinitate, & in disputatione cum Ariano habita in Concilio Nicæno: Augustinum vero Lib. 2. Quest. Evangelicorum. At cum bona venia dicam, perperam Theologos illos & imperite hoc facere; quum illud potius scire debeant, libros illos ab iis iactatos apocryphos esse, & Athanasio perinde ac Augustino falso suppositos; uti viris critica scientiæ peritis exploratissimum est. Quare ea Theologorum istorum responsione missa, repono ego, nihil plane referre, si Veteres, Arianae ac Sabellianæ Sæctæ debellatores, istud Joannis Oraculum silentio miserint; nec posse ex eo silentio colligi, spuriam esse argue additiam periodum illam; quum D. Cyprianus, Arianae & Sabellianæ hæresis longe superior, illud idem Joannis Oraculum recitaverit Lib. de unitate Ecclesiæ: Castidorius itidem in Complexionibus ad epistolas per vicem creditissimum Scipionem Massequem publicatis: ac tum postea D. Fulgentium Lib. Responsionum contra Arianos & aliique deinceps Catholici tractatores. Quid ergo veterum Patrum silentium obstat? Hoc perperam Sabelliani ad aliud momentum confugiunt, ut hujusce Joannis testimonii, quod inficiari omnino non possunt, vim & auctoritatem imminuant. Quare hodierni Græci Textus fidem appellant, ut Hieronymum vulgatæ Versionis ex-



parte auctorem inculent, quasi perperam verterit: *Et hi tres unum sunt*; quum potius vertere debuisset: *Et hi tres in unum sunt*; sed si quis usque ad hunc usque in unum sunt; non autem: *Et hi tres unum sunt*; perinde omnino est, si Scripturarum loquendi modum attendamus; unus idemque plane sensus redit. *Ego exo illi in Patrem*; & ipse erit mihi in Filium, inquit Pater aeternus de Christo, Heb. 1. An ergo non est ille vere Pater; non est iste vere Filius? *Esse mihi in Deum praesertim legitur Psalm. 70.* An ergo iccirco non est ille vere Deus, non est vere protector? Absit. Sed mirandum omnino venit, illos Graeci Textus buccinatos ab ejus demum fide aberrare, dum alterum nobis cavillum obtrudunt; aliutque Patrem, Verbum & Spiritum Sanctum eo plane modo a dilecto Discipulo unum quid vocitari, quo spiritum, aquam & sanguinem unum esse definiunt. Nihil quippe Textus Graecus habet de illa spiritus, aquae & sanguinis unitate. Absunt a Graeco Textu etiam pervulgata verba illa: *Et hi tres unum sunt*; dum de spiritu, aqua & sanguine sermo est; tametsi legatur omnino, dum de Patre, Verbo & Spiritu Sancto sermo venit. Quin etiam quindecim Codices Graecos ac perantiquos summo studio contulerunt Lovanienses, ubi ea perinde verba observantur in prima periodi parte.

Demum nihilominus addititia non esse, sed plane germana postrema illa laudata periodi verba; quandoquidem in vulgata versione, quam nobis Synodus Tridentina authenticam dedit, sine controversia continentur. Demum etiam id sibi voluisse dilectum Apostolum, tres in Deo Personas unum quid esse unitate testimonii, quod de Christi Divinitate tulerunt, uti plane spiritus, sanguis & aqua unum quid appellantur unitate testimonii, quod nobis de Christi humanitate & passione reddidere: nihil hinc contra nos; nec est instituti hujus nostri difficultas haec, qualiscumque tandem sit, quum illud Joannis Oraculum ad id tantum advocemus in praesentia, ut trium Personarum distinctionem contra Sabellianos & Socinianos adstruamus; non ut Divinae Naturae unitatem contra Tritetas vindicemus. Qua de re non est nobis in praesentia discipandum.

Sed nec Tritetis Divinam Naturam dividendum foret illa Joannis comparatio inter Patrem, & Verbum & Spiritum Sanctum ex una parte, & spiritum seu animam, aquam & sanguinem ex altera. Illa enim est summo prudentum assensu statuta lex, ut comparationem vis ex rerum quae mutuo conferuntur, conditione sumatur: alias fideles omnes necessario ac infinite perfectos esse posse licebit asserere, propterea quod a Christo Domino dictum sit: *Estote perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est.* Natura autem Divinae conditio postulat, ut re ipsa sit una: pluralitas enim Deorum, nullitas Deorum est. Natura autem spiritus seu animae, aquae & sanguinis id non postulat, sed refugit potius. Quare pari

omnino modo non sunt unum: nec integra in omnibus est comparatio. Maxime quum laudatus paulo ante Calliodorus in vulgatis novissime *Complexionibus* omnem comparationis aequivocationem fultulerit, Joannis periodum ex antiqua Vulgata seu ex Itala ita reddens: *Telificamur in Caelo Pater & Filius & Spiritus Sanctus; & hi tres unus est Deus.* Sed pergamus ad reliqua novi Testamenti Scripturarum Oracula, quibus Divinarum Personarum Trinitas atque distinctio comprobatur: neque enim ita possumus in singulis immorari.

Hoc igitur Fidei nostrae Caput discretius adstruit dilectus idem Christi Discipulus in Evangelio. Caelestes illos testes, qui Christi Divinitati testimonium perhibent, clarius apertiusque distinguit Capite 8. Evangelii sui; tresque in Deo Personas esse plane definit: *Solus non sum, inquit eo loci Christus, sed ego, & qui misit me Pater.* Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater. Quem locum contra Gregales Sabellii mire prosequitur Athanasius. Et quidem non modo solum se esse negat eo loco Christus Dominus; sed & sese ab eo a quo missus est, distinctum ait: ac quasi id ipsum firmandae veritati satis non esset, Legis suffragium advocat, quae fidem non unius tantum, sed duorum testimonio adjungendum decernit. Quae profecto ludica probatio videretur, si non duos, sed unus idemque testis esset, Pater & Filius, soloque nomine distinguerentur.

Accedit alterum ex eodem dilecto Discipulo contra Sabellianos, unicam in Deo Personam admittentes variis nominibus insignitam, luculentissimum testimonium ex cap. 14. Evangelii desumptum: *Ego rogo Patrem, inquit Christus, & alium Paraclitum dabit vobis.* En utique Filium, qui Patrem rogat. Quis porro semetipsum rogat, ac non potius alterum? Rogat autem, ut alium Paraclitum donet: heic ergo Patrem, Filium & Paraclitum distinctos habemus. Rursus eodem Capite: *Paraclitus autem, subjungit Christus, Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo.* Quis porro mittit se ipsum, aut quis in sui ipsius nomine mittitur? Vel ergo Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum secundum Personas inter sese distinguere necesse est; vel putida batologia ea Scripturarum Oracula laborabunt.

Dilecto Discipulo succinit Mattheus cap. 28. ubi Christus Discipulos suos Fidei factores mitteus inquit: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti.* Qua loquendi ratione tres illos, Patrem scilicet, Filium & Spiritum Sanctum non nomine tantum, sed & Persona distinctos esse sine dubio significat. Quis enim quidpiam Ciceronis e. g. nomine agendum imperans ita ediceret: *Sic dicite: in nomine Marci & Tullii & Cicero- nis?* Numquid id prorsus absurdum non esset? Ita plane propositionem Evangelicam nobis absonam faciunt, qui Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unam triplicis dumtaxat nominis Personam esse fabulantur.

Sed & apertius Gentium Apostolus ad Ephes. 2. Sabellianis jugulum petit, dum inquit: *Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem.* Qui enim fieri posset, ut per Filium haberetur accessus ad Patrem, si Filius ipse Pater esset; sola nomenclatura diversus? Quo pacto in Spiritu Sancto haberetur accessus ille ad Patrem, si minime a Patre, nisi forte nomine, Spiritus ille feceretur? Sint certe tot illa Scripturarum Oracula sensu vacua necesse est, si quod nobis

nobis de Trinitate venditat Haeretic Sabelliana, veritate niteretur; Trinitas scilicet nomen, non Personarum. Veniam dabitur spero, si a caeteris momentis proferendis superfedeo. In infinitum progredere, si singula distinctius prosequi vellem. Nec tam Scripturarum selecta loca laudanda forent, quam tota ex integro Scriptura in medium proferenda; inquit enim merito D. Augustinus: *Omnis Scriptura veteris ac novi Testamenti, si catholice intelligatur, hoc insinuat, quod Pater & Filius & Spiritus Sanctus unus sit Deus ejusdem substantiae uniusque essentia.* Quare in resellendis Sabellianorum momentis sequenti Praelectione, Deo dante, industriam nostram exercabimus.

## PRAELECTIO III.

Sabellianorum Momenta adversus Divinarum Personarum Trinitatem reselluntur.

Satis in antehabitis in asserendo probandoque Trinitatis Mysterio studii ac laboris impendimus. Tempus est, ut ad dissipandas, si quae sunt in oppositum, Sabellianorum argutias animam convertamus. Ne porro in ea adimplenda provincia in immaturam messem faecem intemptive mittamus, non ea nunc disponemus argumenta, quae vel Filii, vel Spiritus Sancti Divinitatem speciatim oppugnant; de quibus suo subinde loco adversus Arianos & Macedonianos disputando sermo erit; sed ea dumtaxat argumenta resolvemus, quae Personarum Divinarum Trinitatem ea ratione tantum oppugnant, quod haec ipsa Trinitas cum Divinae Naturae unitate stare non posse videatur. Sunt enim haec praesentis disputationis propria ac veluti cognata argumenta. Primam igitur ex veteri Testamento aciem instruat priorum temporum Sabelliani, ut Divinarum Personarum Trinitatem oppugnent: Deus, inquit illi, ubique passim, nedum unicum, sed & solum in Scripturis semetipsum appellat: *Deut. 32. Videte quod ego sum solus; & non sit alius Deus praeter me: Isaia 44. Ego sum Dominus faciens omnia, extendens Caelos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.* Jam, subjungunt illi, si Deus noster unus, sed & solus vocitatur, profecto uti in Natura, ita & in Persona unus est: quomodo enim solus esset, si tres ejusdem Naturae atque substantiae Personae essent?

Auger hujus argumenti robur Theologorum illa pervulgata ac trita philosophandi ratio. Hi enim iccirco plures in Deo Personas ponunt, quod a Deo solitudo, veluti summum dedecus, semovenda sit; alias Deum nec summe felicem futurum, nec veram amicitiam habiturum ajunt, nisi plurium ejusdem Naturae Personarum societas frueretur. Ita quippe argumentatur Doctor Angelicus 1. part. quest. 31. artic. 3. Si igitur e contrario solum se Deus ipse passim appellat Sacris in Litteris, has omnes Theologorum argumentationes ac probationes demolitur, seque ipsum in Persona profertur, uti & in Natura unicum profertur. Suppetias ex novo Testamento quaerunt Sabelliani, ut hoc ipsum distinctius & explicatius adstruant. Illud Joann. 17. jaculant maxime, ubi Christus Deum Patrem allocutus unicum aeterni Patris Personam Deum videtur agnoscere: *Hec est autem, inquit, vita aeterna; ut cognoscant te, solum Deum verum.* Soli itaque Deo Patri Divinitatem Christus adscribit, dum illum solum verum Deum profertur; neque sese, aut Spiritum Sanctum in ejusdem Divinitatis

confortium admitti patitur. Ita Sabelliani ubique passim argumentantur.

At haec meræ nugae sunt, subtili arte compositae. Nihil enim ex iis veteris Testamenti Oraculis initio objectis extendi potest, nisi Deum in Natura quidem, non tamen in Persona solum appellari. Aut certe, quod idem est, solum esse Deum, ut Deos commentitios, & alienos excludat; non ut confortium plurium ejusdem Naturae vere Divinae Personarum excludat. Id palam aperteque significat singulare Dei studium, ut Judaeos ab Idololatria, cui ex contracta quondam in Aegypto consuetudine adhaerebant indefinenter, avocaret. Id probant Scripturae contextus objecti, si paulo penitius attendantur. Ita quippe objectus *Deuter. loc. habet: Ubi sunt Dii eorum, in quibus habebant fiduciam? De quorum victimis comederant adipem, & biberant vinum libaminum. Surgant & opulentur vobis, & in necessitate vos protegant.* Videte, quod ego sum solus; & non sit alius Deus praeter me. Quasi dicat: Unus ego sum Deus, qui opitulari vobis possum; non illi, quorum opem, & auxilium imploratis, falsi quidem & commentitii.

Quid Patres horum locorum Interpretes appellem numero infinitos? Justinum, Irenaeum, Tertullianum, Lactantium, Eusebium; qui in suis contra Gentiles lucubracionibus adornatis loca haec contra fabulosa momenta contorserunt. Res in immensum abire, vosque nimium desatigare, si omnia singillatim in medium proferrem. Ceterum qui solitudinem a Deo uti summam illius felicitatis perfectaeque amicitiae repugnantem rejiciunt, Personae solitudinem intelligunt; cum qua perfecta amicitia stare non potest, utpote quae plures inter personas debet esse.

Neque vero aliud sibi vult decantata illa, & a Sabellianis ad nauseam usque jacitata Christi ad Patrem oratio: *Hec est vita aeterna, ut cognoscant te, solum verum Deum.* Unde D. Athanasius Orat. 4. adversus Arianos eam Christi Orationem exponens inquit: *Cum Pater solus Deus, & verus appellatur, non ad exaustrationem ejus appellatur, qui dicit: ego sum veritas; sed ad demolitionem eorum, qui ex natura tales non sunt, qualis est Pater & Patris Verbum; neque vero Dii sunt.* Imo vero Christum eundem cum Patre Deum esse significat locus ille, si penitus pendatur: ait enim: *Hec est vita aeterna, ut cognoscant te, solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum;* sic ut filius Deo Patri societur potius, quam Divinitatis titulo defraudetur.

Quid ni quoque Sabellianis dialecticarum argutiarum amantissimis reponamus, voculam *solus*, quae in haec Christi propositione negotium fecerit, versatilem admodum, ac variis sensibus obnoxiam esse. Enimvero, si mihi datis veniam, ut in eo Dialecticae spinetio tantillum excurram, ea propositio, quae ex Christi Domini Oratione efformari videtur *Solus Pater est Deus* duplicem sensum juxta Dialecticam leges habere potest: primo; ut vocula illa *solus* propositionis hujusmodi subjectum afficiat, nempe *Patrem*; istumque sensum reddat: *Solus Pater est Deus*; hoc est: *Qui solus est Pater, est Deus*: qui certe sensus a Sabellianismo procul abest. Secundo; ut vocula *solus* predicatum propositionis afficiat, nempe *Deum*; istumque propterea sensum referat: *Solus Pater est Deus*; hoc est: *Pater est Deus solus*. Quod iterum innoxie, & citra omnem Sabellianismi suspitionem accipi potest; non quasi nulla Persona Deus sit praeter Patrem; sed quod illa ipse Persona, quae cum Patre Divinam Naturam habent, non nisi unus solusque cum Patre Deus haberi debeant. Filius enim est alius quidem a Patre; non est tamen alius Deus.



Deus ab eo; atque hoc pacto in fumum abit prima illa Adversariorum hallucinatio.

Verum Trinitas est illa veterum Sabellianorum adversus Trinitatem vellicatio, si cum Sociniano, quibus idem ille communis est error, hostili apparatu conferatur. Quidquid enim arguitur Dialecticæ; quidquid sophismatum feces contra veritatem adversus sacrosanctum Mysterium ab iis nefarie congestum est, singula hæc summo olim studio confarcinavit Michael Servetus in pestifero libello adversus Trinitatem edito; cujus exempla universa, agente Calvino ipso, Genevæ flammis absumpta sunt, tribus dumtaxat incendio subductis; quorum unum in Christianissimi Regis Bibliotheca aservatur etiamnum; quodque mihi ante annos circiter quinquaginta legere contigit, dum Parisiis studiorum causa debebam. Eadem illa in Trinitatem confarcinata sophismata videre est in Actis Pseudosynodi Antitrinitariorum anno 1568. habitæ Claudianopoli in Transylvania ipso præsentem Transylvaniæ Principe, ut inausita aspidum ora sua suprema auctoritate ac patrocinio refoveret. Sedebant in ea congregata Synagoga Præfides Georgius Blandrata, & Franciscus Davidis apud Albam Juliam cum reliquis in ea congregatis, qui universa in patrocinium erroris argumenta inter colloquendum adducta publicis actis consignarunt. Selectiora ego, quantum potero, in hac exercitatione dispungam. Cætera, quæ Dialecticis spinis, ac tribulis subrigescunt, in sequentibus reutabo.

Præstantur igitur in primis, sibi que audientiam faciunt insulso isto, atque vesano paralogismo, quo priorum Sæculorum de Trinitate Traditionem demoliri sibi putant. Quæ doctrina, inquit, in Orbe vulgata est statim post Christi in Cælos ascensum, falsa est, & antichristiana: ita quippe Paulus ominabatur *Act. cap. 20. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcetes gregi: Et ex vobis ipsi exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* Quin etiam dilectus Apostolus inquit *Epist. 1. cap. 2. Antichristus venit: nunc Antichristi multi facti sunt.* Porro, addunt illi, quæ Personarum Trinitatem doctrina prædicat, statim post Christi ascensum in orbe vulgata est: falsa itaque, atque antichristiana doctrina est. Ita plane vaserimini disputatores: cumque nos decretorum vindicandæ Trinitatis repetamus argumentum, propterea quod statim post Christi ascensum a viris Apostolicis prædicari cœpta sit; hinc illi e contrario oppugnandi causam arripiunt, injecta in primos Evangelii Prædicatores erroris accusatione, atque perfidiæ.

Gratias Superis immortales. Jam ergo fatentes reos habemus, fatentes, inquam, Transylvanos doctrinam de Trinitate Personarum statim a Christi ascensu in Orbe christiano fuisse prædicatam: perperam igitur hac saltem in parte novitatis incusatur Ecclesia. At, inquit illi, quæ statim in Orbe christiano prædicata doctrina est, hæc uti falsa, & antichristiana ab Apostolis Paulo nimirum, & Joanne fugillatur. Quasi vero id de omni doctrina ab Apostolis, Virisque apostolicis prædicata intelligendum sit. Si sic est, semetipsos uti fallaces, & Antichristos Apostoli produunt; universaque Religionis Christianæ mysteria certo jure negari poterunt: cum statim post Christi ascensum in Orbe christiano sint prædicata. Quidni & ipsum Baptisma pari ratione repudiandum ducunt? Cur Christi resurrectionem, ipsumque ad Cælos ascensum tenent? Et Spiritus Sancti in Apostolos stupendum illapsum? Nonne hæc omnia ab Apostolis regresso ad Cælos Christo Judæis, atque Gentilibus prædicata fuerunt? Vah vesanam improborum hominum cogitationem!

Quod itaque a Paulo, & Joanne dictum est, privata quædam dogmata respicit, quæ subortuntur primum Antichristi nonnulli prædicarunt, Simon, Cerinthus, Ebion, alique male feriat tenebriones, qui primo christiani nominis sæculo in Ecclesiam eruperunt. Inter dogmata igitur initio vulgata ex iis petendum discrimen est, a quibus primitus prodire: alias eadem falsitatis nota omnia laborant. Siquæ vero ab iis prædicata fuisse constiterit, quos prædicandæ veritatis administratos Dominus destinavit, sit ille non solum mente, sed sensu captus oportet, qui hæc uti falsa, & antichristiana rejecerit. Jam ad alia properemus. Ea Præfatione præmissa, opus aggredimur Transylvani lepido sane sophismate. Attendite, Viri Theologi, ut ingenium demiremini. Unus verus Deus invocari a Fidelibus debet per Filium, Dei & hominum mediatorem: at Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus invocari nequeunt per Filium: alias idem per se ipsum invocaretur, idemque sui ipsius mediator esset: Pater itaque, Filius, & Spiritus Sanctus simul non sunt unus verus Deus. En Achilæum, ut Hæretici Transylvani putant, adversus Trinitatem argumentum. Quocirca Georgius Blandrata inter recentiores Sabellianos famosissimus in actis Pseudosynodi Claudianopolitane testatur, hoc fese argumentum Calvino Genevæ proposuisse, nec ab illo unquam fuisse solum. Hoc idem Petrus Melius Catholicorum eo in congressu partes agens a Serveto quoque, & Valentino Gentili Calvino propositum narrat, nec tamen ab illo solum. Tantum erat Calvinianæ subtilitatis acumen.

Quis vero non videat, purum putumque sophisma istud esse, & variatæ suppositionis vitio laborare; quo nullum in arte dialectica majus est. In majori quippe propositione, dum dicitur: *Unus verus Deus: tunc unus verus Deus non supponit communiter pro quacumque Persona Divina, quasi quæcumque Persona Divina per Filium debeat invocari; sed singulariter tantum supponit pro ea Persona, quæ Pater est: hæc enim a nobis invocari per Filium debet.* In conclusione vero cum dicitur: *Ergo Pater: tunc unus verus Deus communiter supponit, non singulariter.*

Sed age, & missis Dialecticæ regulis alia ratione ac via enervemus illum Socinianum Achilæum. Unus verus Deus, inquit argutatores, invocari a fidelibus debet per Filium, mediatorem Dei, & hominum. Bene est. At dum subjungunt: *Sed Pater & Filius & Spiritus Sanctus invocari non possunt per Filium, alias Filius per Filium invocaretur, quod est prolixius absurdum;* mera æquivocatio illa est, quæ facile solvitur, si dicamus, Filium, ut subsistit in Divina Natura, una simul cum Patre & Spiritu Sancto invocari per Filium ipsum, ut in humana Natura subsistit. Quod utique tam parum repugnat, quam non repugnat, Filium in assumpta Natura mediatoris officio fundum esse, nedum apud Patrem & Spiritum Sanctum, sed apud semetipsum, ut in Divina subsistentem Natura: quæ certa est Patrum doctrina: *Irenæi lib. 3. adversus hæreses cap. 20. Cirilli lib. 12. Theophrasti cap. 10. Chrysostomi Homil. 7. in Epist. 1. ad Timoth. Augustini lib. 9. de Civitate Dei cap. 15. aliorumque plurimum SS. Patrum, quos hic recensere longum esset.*

Nec est, quod obtrudant impostoribus Sociniani, media ab utroque, ut ajunt, extremo debere distingui. Sit ita profecto si volunt: at Christus ab utroque etiam extremo secerit, cum is Deus simul & Homo sit; nullum vero extremorum utroque simul titulo potiarit; neutrum utramque simul Divinum, & humanam Naturam habeat.

Urgent tamen illi multo validius, & quidem argu-

argumento ex ipsa Dei Natura petito. Si plures, inquit illi, Personæ Divinæ sunt, & quidem re ipsa inter sese distinctæ, nulla illarum erit simpliciter, & infinite perfecta. Si etenim distinguuntur Personæ, utique distinguuntur per aliquam perfectionem, quæ ita est in una Persona, ut non sit in alia; atque ita unaquæque carebit ea perfectione, quæ reperitur in altera; Deique iccirco non erit: nec enim Deus potest aliqua perfectione carere.

Huic argumento vim addit Doctoris Angelici ratiocinatio, quæ Politheismum, seu pluralitatem Deorum oppugnat *1. part. quest. 11. artic. 3.* Si enim, inquit ille, plures Dei forent, nullus plane Deus esset, quia nullus esset infinite perfectus, utpote quod quilibet Deorum illorum ea perfectione careret, quæ alter ab ipso distingueretur: Quæ ratio mutatis terminis pluribus Personis parvo negotio potest accommodari; ut eas in Deo non dari demonstretur.

Ejusdem pariter subtilitatis argumentum est istud quod diu multorum Theologorum torfit ingenia; quo pacto fieri tandem possit, ut Persona quælibet Divina infinita gaudeat perfectione, cum tamen illarum quælibet alterius perfectione personali careat. Nec enim Filius Paternitatem habet, nec Pater Filiationem; cum potius ea de causa sibi invicem opponantur.

Sunt qui nodum hunc disrumpere mallent, quam dissolvere, atque iccirco reponunt, proprietates relativas (quarum una ita est in una Persona, ut non sit in alia) qua ratione relativæ sunt, nullam perfectionem præferre. Quæ de re ampla nobis erit suo loco dicendi materies, dum questionem hanc ex instituto agitabimus. Verum quia aliam tunc temporis viam innotuit sumus, eamque sententiam longe esse a Doctoris Angelici mente demonstrabimus; iccirco illud nonnullorum Theologorum suffugium nobis ocellum agnoscimus.

Alii alio confugiunt, ut nodum extricent: ajunt scilicet, unamquamque Personam Divinam infinite perfectam esse, etsi una alterius perfectione careat, quia perfectionem habet æquivalentem. Non habet, inquit illi, Filius Paternitatem, habet nihilominus Filiationem, quæ tantæ in Filio perfectionis est, quantæ in Patre Paternitas; vicissimque non habet Pater Filiationem, habet nihilominus Paternitatem, quæ tantæ in Patre perfectionis est, quantæ in Filio Filio; eoque titulo sunt ambo æque perfecti. Valeat utrumque poterit ea Responsio; non is tamen ego sum, qui eam magnopere probem. Ad salvandam enim infinitam Divinarum Personarum perfectionem satis meo quidem judicio, non est, si habeant unam æquivalentem alteri perfectionem, nisi eandem omnino habeant.

Quare, eo misso responso, repono ego, esse unamquamque Personam simpliciter infinitam, habentemque unamquamque totam alterius perfectionem, non quatenus invicem opponuntur Personæ, sed quatenus in Natura sunt unum. Non habet itaque Pater, ut Pater est, Filiationem; neque Filius, ut Filius est, Paternitatem; uterque tamen eandem perfectionem habet, ut Deus est. Quare tamen ea propositio sit falsa; *Pater est Filius: & ista vicissim; Filius est Pater;* utraque tamen ista verissima est: *Pater est Deus, qui Filius est: Filius est Deus, qui Pater est;* eoque titulo Personæ Divinæ, tamen invicem fiat a se distinctæ, ut Personæ ex æquo tamen dicendæ sunt infinite perfectæ, quatenus Deus sunt.

Neque obest Doctoris Angelici ratiocinatio, quæ plures Deos esse non posse demonstrat; quia, si plures Dii essent, unus illorum alterius perfectione careret. Stat enim inconcussa illa ratio;

Serjy Tom. IV.

quæ diversæ hypotesis illa est: etenim, si plures Dii forent Natura, uti & Persona distincti, unus nullo pacto nullave ratione alterius perfectionem haberet: aut ubi plures dumtaxat Personæ dicuntur esse, quarum tamen una sit eademque Natura, unaquæque Persona alterius obtinet perfectionem, sin minus uno titulo, saltem altero; hoc est, sin minus vi relationum, per quas opponuntur, saltem ratione Naturæ, in qua sunt unum.

At non ne (inquit forte) Persona Divina reduplicative uti Persona, est infinita? Quomodo ergo plures Personæ Divinæ esse possunt, cum duo infinita a se invicem distincta esse nequeant? Responsio in promptu est: Personam Divinam scilicet reduplicative uti Personam, infinitam esse non simpliciter, & absolute; sed in ordine suo, videlicet relativo; cum Divinæ Personæ absolute non sint, sed relativæ. Ex quo profecto sequitur, plures Personas ejusdem ordinis relativi esse non posse; e. g. non plures Patres, non plures Filios: quamquam præter Personam unius ordinis relativi altera alterius ordinis relativi esse possit; hoc est præter Patrem possit esse Filium; præter Patrem & Filium possit esse Spiritus Sanctus.

Cætera recentium Sabellianorum contra Trinitatem Sophismata prosequi non est animus; sed amplam, quæ superflua, futuræ exercitationis academicæ materiam ministrant.

## PRÆLECTIO IV.

Reliqua recentium Sabellianorum, seu Socinianorum sophismata exsufflantur.

Verus illa fuit, & a Tertulliano sæpius objecta Philosophis, criminatio, Hæreses omnes a Philosophia suboriri. Quod a me, si unquam alias in Hæresum confutatione notatum est, id præsentis potissimum Disertationis, dum de Socinianorum argutiis resellendis ago, fatali experimento comprobatum fateri merito possum. Id enim præ cæteris quibusvis Hæreticis in recentioribus Sabellianis, seu Socinianis observare est, quod cum alii veritatis hostes Aristotelicæ Philosophiæ præsidium identidem implorant; isti in oppugnando Trinitatis Mysterio vires suas omnes, momenta rationum omnino singula ex eo fonte unice derivant. Quo fit, ut dum hodie ad illorum consultandas argutias ex hoc Theologico Suggestu dicere debeo, non tam Theologi, quam Philosophi, imo Dialectici personam induere cogar. Induam tamen non illibenter, cum adimplendi officii ratio postulet. Adeste igitur animis, & attenta mentis acie Socinianæ subtilitatis acumen diligentius observate. Hocce paralogismo Trinitatis Mysterium statim pulsant: Unus verus Deus est Pater Jesu Christi; at Pater, Filius, & Spiritus Sanctus non est Pater Jesu Christi; alias Christus Spiritum Sanctum, imo & se ipsum Patrem haberet: non igitur Pater Filius, & Spiritus Sanctus est unus verus Deus.

Quis, rogo vos, paralogismum istum ludis, ac cachinnis omnibus non excipiat; in quo quidem variatur suppositio? *Unus verus Deus est Pater Jesu Christi:* sic sane verum; non Deus, ut communiter supponit pro quacumque persona, quæ in Divina Natura subsistit; sed Deus dumtaxat, ut singulariter supponit pro determinata Persona, quæ in Divinis Patre est. Quemadmodum & hoc argumentum absonum esset ob suppositionis variationem: *Verus homo est Pater Alexandri Magni; at Caesar non est Pater Alexandri Magni; ergo Caesar non est verus homo.* Absona plane consequutio illa est; quia in majori propositione: *Verus homo est Pater Alexandri Magni,* communiter pro quocum-



cumque homine non supponit, quasi quicumque verus homo est, Alexandri Pater esse debeat; sed pro uno dumtaxat homine supponit, Philippo scilicet Macedonum Rege.

Pergunt subtilissimi Theologastri: Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt alius, alius, & alius, secundum Ecclesie Romanæ professionem: at Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus: igitur Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt alius, alius, alius Deus; adeoque Deus unus non sunt, sed tres omnino.

Verum non advertunt imprudentes, variari etiam hic apertissime suppositionem: In majori quippe propositione, dum dicitur: Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt alius, alius, & alius; tō Pater, Filius, & Spiritus Sanctus pro Personis dumtaxat supponunt, quatenus relationis proprietatis distinguuntur: hoc enim dumtaxat sensu sunt alius, alius, & alius: In minori vero propositione dum additur: Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus, pro iisdem supponunt, non quatenus invicem opponuntur, & distinguuntur; sed quatenus in Natura, & Essentia sunt unum. Non enim habent, quod Deus sint, nisi ratione Naturæ, & Essentiæ, quæ in illis est una. Difficultatem ita solvit Doctor Angelicus 1. part. quest. 31. artic. 3.

Mirari vero subit, Calvinum adeo tardioris Minervæ fuisse, ut hoc sibi quondam alias a Georgio Blandrata propositum argumentum enodare nequiverit. Sed hoc fuit iusti Dei vindicis alta profunditas, ut qui Theologiam Scholasticam flocci fecerat, profana Philosophiæ laqueis caperetur. Quamobrem vos monitos volo, quotquot aedulis studiosi Juvenes, ne tantum recenti Divinæ Scientiæ addiscendæ methodo concedatis, ut Scholasticam penitus contemnendam, ac procul penes Indos, & Garamantas relegendam putetis.

Sed Sophistas nostrōs nec vel momento dimittamus. Urgent illi porro, sicque argumentantur: Quidquid in Deo est, est de intrinseca ratione Essentiæ Divinæ; sed Trinitas Personarum non est de intrinseca ratione Essentiæ Divinæ: ergo Trinitas Personarum in Deo non est. Minorem sic probant: Si Trinitas Personarum esset de intrinseca ratione Essentiæ Divinæ, de quocumque prædicatur Essentia Divina, prædicaretur & Trinitas: uti plane de quocumque prædicatur Humanitas, prædicatur & Rationalitas; quia Rationalitas est de intrinseca ratione Humanitatis: sed de quocumque prædicatur Essentia Divina, de eo tamen non prædicatur Trinitas Personarum; e. g. de Patre prædicatur Essentia Divina dum dicimus: Pater est essentialiter Deus; de quo tamen non prædicatur Trinitas Personarum: quandoquidem non dicimus: Pater est Trinitas.

Nos nihil ista moramur. Damus ultro citroque concedimus, nihil in Deo esse, quod non sit de intrinseca ratione Essentiæ Divinæ: Dicimus tamen, quod, ut sit de Essentia Divina, necesse non est, ut de quocumque prædicatur Essentia Divina, prædicetur & Trinitas explicite, atque directe; sed satis est, si indirecte, & implicite prædicetur. Ita porro se habet res in præsentia; quamquam enim dici non possit: Pater est Trinitas; dici tamen potest, ac debet: Pater est Deus, qui Trinitas Personarum est.

Stant nihilominus in incerto Sociniani, nec despondent animos; sed copias suas hoc argumento rursus instaurant inter omnia decantatissimo, ex Logicis Institutionibus delibato. Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; sed Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt idem cum tertio, nimirum cum Essentia Divina, a qua minime distinguuntur; sunt igitur idem inter se; nec ideo

reapse a se invicem distinguuntur. Quod quidem altero argumento confirmant, quod expositorium Dialectici vocant: Hic Pater est hic Deus; hic Deus est hic Filius; ergo hic Pater est hic Filius: atque ita inter Personas nulla est re ipsa distinctio.

At telum hoc rubigine obtektum penitus fateri necesse est. Principii namque hujusce Dialectici, quo tota superstruitur ars syllogistica, triplicem expositionem Theologi proferunt. Primam: Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, si sint eadem uni tertio tam re, quam ratione; non si re tantum sint eadem, minime vero ratione, uti exemplo adionis, & passionis comperitur est. Actio enim, & passio sunt idem in motu, nec tamen sunt idem inter se; quia re tantum, non ratione in motu sunt. Porro Personæ Divinæ, tamen re ipsa cum Essentia sunt idem, non ita tamen ratione. Ita plane Divus Thomas 1. part. quest. 28. art. 3. ad 1.

Alteram addit subtilissimus Cajetanus: Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se secundum eandem rationem, secundum quam sunt idem in uno tertio; non vero secundum aliam rationem. Jam vero Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt idem in Essentia Divina secundum rationes absolutas, quas important; non secundum relativitas: igitur & inter se sunt unum secundum absolutas, non vero secundum relativitas rationes.

Tertiam subjunxit ego: Quæ sunt eadem uni tertio finito, & limitato, sunt eadem inter se; non quæ sunt eadem uni tertio illimitato, & infinito; & pluribus realiter distinctis communicabili; qualis profecto est Essentia Divina. Id similitudine accommodatissima illustratur: Quæ simul præsentia sunt uni tertio, sunt sibi invicem præsentia, dum tertium illud finitum, ac limitatum locum occupat; secus si tertium illud infinitum locum occuparet. Nec enim e. g. quæ præsentia forent corpori infinito, sibi invicem præsentia forent: neque res omnes temporaneæ per varia intervalla temporum existentes propterea sibi invicem præsentis sunt; quamquam omnes sint æternitati præsentis; quia æternitas duratio infinita est, omnium temporum differentias complectens, imo superans universas. Cum itaque Divina Essentia infinita sit, atque illimitata, pluribus re ipsa distinctis communicabilis, possunt plures persone eidem realiter identificari, tamen inter se distinctæ maneat.

Quod porro subjungunt Sociniani argumentum expositorium, ludicrum omnino est. Argumenti enim expositorii legem hanc Dialectici statuant, ut nullus in eo terminus communis, aut universalis occurrat: e. g. Argumentum hoc vere expositorium est: hoc artefactum est lignum, hoc lignum est scamnum; igitur hoc artefactum est scamnum: sunt enim omnes termini singulares; verum dum dicitur: hic Pater est hic Deus; hic Deus est hic Filius; ergo hic Pater est hic Filius; tō hic Deus est terminus communis; totaque idcirco ruit argumenti moles.

A Logicis ad Metaphysicæ gressum faciunt Trinitatis hostes: Metaphysicæ principium est, Personam reddere Naturam individuum, alteri Personæ esse Supposito incommunicabilem: itaque si Pater Persona est, Naturam suam individuum non potest alteri Personæ, Filio nimirum, ac Spiritui Sancto communicare: quid ergo Trinitatis Mysterium?

At nec illi acutiores Metaphysicos, quam Dialecticos sese exhibent: Persona enim naturam individuum reddit incommunicabilem juxta modum personalitatis; adeo ut si Personalitas abso-

luta

luta sit, naturam faciat alteri absolute incommunicabilem; si vero sit Personalitas relativa; naturam incommunicabilem facit in eadem linea relationis; est in altera relationis linea possit atque communicari. Sic ergo Pater æternus, quia Persona est relativa, non potest Naturam alteri Patri communicare; potest tamen Filio, qui in alio est ordine relationis.

Verum reponunt illi: Quid aliud apud Metaphysicos notat Personæ nomen, quam naturæ rationalis individuum substantiam? & certe Pater, ut Pater, cum accidens non sonet, necessario substantiam sonat: Si ergo Filius est alia Persona a Patre, erit quoque alia substantia: atque idcirco consubstantialis Patri dici non poterit; ac sic quoque ruit Mysterium Trinitatis.

At nodum illi in scirpo quarunt: nec enim Viri Theologi desunt, qui tres in Deo substantias agnoscerent non reformident, si substantiæ nomine substantia intelligatur. Cæterum quia id admittere reformidabat olim D. Augustinus, ne Arianis præberet calumniæ causam lib. 5. de Trinitate, cap. 8. & 9. idcirco alteram solutionis viam inire satius est. Dicendum itaque, Personam in Divinis absolutam non esse, sed relativam, adeoque substantiam dicere non absolute, atque simpliciter, sed substantiam cum determinato, ut ajunt, relationis modo? Quapropter consequens non est, tres in Deo dari substantias, quia tres in Deo dantur Personæ; sed substantiam omnino unam cum alio tamen, & alio rationis modo.

Urgent illi tamen, eaque Triade Personarum, quarum una procedat ex alia, Divini Numinis ideam everti contendunt. Quid enim, (inquiunt illi) Dei nomine venit in mentem, nisi ens a se, ens primum, quod ab alio nullo esse potest? Jam si ita est, (inquiunt) qua tandem ratione Filius, & Spiritus Sanctus Deus erunt, si a Patre spiratione, & generatione procedunt?

Gerra profecto, gerra, eaque vanissima. Quamquam enim Deus absolute, & simpliciter sumptus omni prorsus modo fit ens a se, adeo ut a nullo possit esse, seu tamquam a causa, seu tamquam a principio; relative tamen, & restrictive acceptus, seu Deus Filius, & Deus Spiritus Sanctus ab alio potest esse, si minus ut a causa, at saltem ut a principio eandem Naturam communicante: quia sic nulla est dependentia Personæ procedentis: uti plane Attributa Divina, quæ Deus ipse sunt, ab Essentia Divina, tamquam a causa virtuali absque ulla dependentia promanant.

Solutis jam præcipuis Socinianorum sophismatibus, quibus Trinitatis Mysterium, ac in eo maxime Personarum distinctionem impetere soliti sunt; dispendium operæ faciam, si insolutam prætermiserim quorundam recentium Theologorum argutiam, quæ non ipsam quidem Divinam Personarum distinctionem oppugnant (id enim Catholicus nullus Theologus attentavit) sed rationem D. Thomæ, veterumque Theologorum, quæ eam Divinarum Personarum distinctionem communitate probant, subtilitate arguere moluntur. Ita porro illi sibi videntur subtiliter disputare. Idcirco maxime probat Doctor Angelicus, Personas Divinas re ipsa inter sese distinctas esse, quia inter sese relative opponuntur; at ratio illa casta prorsus, subtilique omnino est: oppositio enim relativa est omnium minima, uti vice versa oppositio contradictoria est omnium maxima.

Optandum tamen, ut qui misera illa argutia D. Thomæ, omniumque veterum Theologorum Serry Tom. IV.

rationem vellicare, atque infringere aggrediuntur, dialecticas institutiones paulo diligentius evolvisent. Observassent enim qualemcumque suppositionem inducere distinctionem extremorum inter quæ datur, ita tamen, ut ea distinctio in eo sit ordine rerum, in quo est oppositio; hoc est; si oppositio sit in re ipsa, distinctionem realem inferat extremorum oppositorum; si sit in mente dumtaxat, distinctionem solum mentalem, seu rationis inducat.

Afferta nunc, ac probe vindicata Divinarum Personarum inter sese distinctione, quo Capite Mysterii Trinitatis pars prima sita est, reliquum est, ut earundem Divinarum Personarum consubstantialitatem, seu Naturam, ut Schola loquitur, identitatem, quo Capite pars hujusce Mysterii altera posita est, asseramus, ac vindicemus. Quapropter de Filii cum æterno Patre consubstantialitate adversus Hæresim Arianam in sequentibus disputationibus disceptabimus.

## PRÆLECTIO V.

Dei Filii cum æterno Patre consubstantialitas adversus Arianos asseritur, propugnatur.

Tametsi demonstrata in superioribus Disputationibus Christi Domini, ac Dei Filii Divinitate, ejusdem cum æterno Patre consubstantialitas asserta quoque, atque probata videri possit; quandoquidem duos Naturam, atque substantiam distinctos Deos esse impossibile est; fuit tamen quorundam audacia (ut hoc quoque argumenti genus paulo distinctius tractaremus) qui cum Filii Divinitatem tot Scripturarum Oraculis assertam fateri vel inviti cogerentur, Divinitatem novo portento partiti sunt; unamque Patri partitam, alteram Filio deputarunt. Quos data opera exagitat D. Augustinus lib. de Hæres. Divinitatis gradus, nescio quos, fabricati sunt alii; altioreque Patri, inferiore Filio assignarunt. Quæ fabularum portenta, tamen multiplici argumentorum varietate confutari facile possent; nos illud unum in præsentiarum arripimus, quod instituta adversus Arianos disputationis maxime proprium est: illud, inquam, quo Filium consubstantialem Patri demonstrabimus prolatis Scripturarum testimoniis longe multis. Ad rem igitur, ne plus æquo in præludiis immoremur.

In hoc genere testimoniorum, consubstantialitatem Filii cum æterno Patre comprobantium, illustre admodum, ac prorsus invicium illud est, quod extat cap. 2. Epistolæ ad Philipp. ubi de Christo sic Apostolus loquitur: Qui cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus esse esse se equallem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Quo loco triplici ex capite Christi Divinitas, ejusdemque cum æterno Patre æqualitas, & consubstantialitas demonstrantur: Primo; quia Christus esse dicitur in forma Dei; hoc est, in Natura Divina subsistens: sic enim communiter Patres interpretantur. Secundo; quia sine rapina, hoc est, sine rei alienæ usurpatione, æqualem se Deo Patri existimavit. Tertio; quia semetipsum exinanivit Servi formam accipiendo; si enim Christus nihil præter humanum habuisset, Servi formam absque sui inannatione induisset; cum creatura qualibet nativa sui forte Dei servasset. Et en, nisi mea me fallat opinio, absolutissimam consubstantialitatis Christi cum Deo Patre probationem.

Ea tamen extitit veterum, ac recentium Arianorum audacia ut ex hoc ipso Apostoli testimonio probare contra niterentur, non esse Filium